ORIGENES
Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 146r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Iubetur moyses uirga percutere mare. ut ingrediente populo
dei dehiscat et caedat. ac uoluntati diuinae elemento
rum famulentur obsequia. et aquae quae timebantur
dextrae leuaque famulis dei murus effecte. non
solum perniciem nesciant sed et munimen exhibeant;
cogitur ergo fluctus incumulum. et unda in sem et ipsa
repressa curuatur. soliditatem recepit liquor et solum
maris arescit in puluerem; Bonitatem dei creatio
ris intellege. si uoluntati eius obtemperes. si legem eius
sequaris. ipse tibi elementa et iam contra sui naturam
seruire conpellit; Audiui a maioribus traditum
quod in ista digressione maris. singulis quibusque
tribubus filiorum israel singulae aquarum diui
sione factae sint. et propria unicuique tribui.
In mari aperta situa. idque ostendi ex hoc quod
in psalmis scriptum est. qui diuisit mare rubrum
in diuisiones. per quod plures diuisiones docentur
factae non una. sed et per hoc quod dicitur ibi beniamin
iunior In stupore. Principes iuda duces eorum.
principes zabulon. principes neptalim. nihil
ominus unicuique tribui proprius enumeraeri
uidetur ingressus; Haec a maioribus obseruata.
in scripturis diuinis religiosum credidi non tacere;
Quid ergo nos docemur per haec. Iam superius